



Procopius sub Conrado Imperatore, circa annum Domini millesimum tricesimum quintum, apud Germanos in finibus Bohemiae natus & educatus fuit. Erant autem parentes eius homines pii, & ut ea tempora ferebant religione deditissimi. Itaque plurimū solliciti fuerūt, qua ratione filius Christiana fide imbueretur. Cum autem tum sacra studia nullibim melius quam apud viros sacris initiatos uigerent, puerum suum Collegio sacerdotum in arce Visegradiensi celebratissimo erudiendum tradiderunt. Postquam uero Procopius feliciter in sacris studijs profecisset, atque ingenium & mores eius reliquis sacerdotibus approbarentur, dignus ipse iudicatus fuit, qui ipsorum numero ascriberetur. Verum Procopius fastum eius loci auersabatur, atque in sodalitio Breunouieni potius Deo seruire quam collegis Vuissegradensis ascribi maluit. Cum autem aliquandiu in illo collegio pie uixisset, atque nihilominus collegarum uitia indies uideret, quae ipsum a uirtute auocabat, coepit de uita solitaria cogitare. Quare Breunouia relicta, speluncam quandam Sasauo flumini incumbentem, laruisque & lemuri bus, atque spectris nocturnis infamem, sibi habitandam elegit. Cum eam esset ingressus, terribiles ille laruarum ac spirituum malorum formae dilapsae, & amplus uisus non sunt. idque ob summam pietatem, fidem, & innocentiam Procopij, qui uera in Christum fide huiusmodi Sathanæ illusione tanquam uana continebat.